



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

complectens sanctos Mensium, Ivlivm Avgvstvm & Septembrem

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

Martyrivm S. Felicis Apvd Gerundam: ex Adone Treuir. Archiepiscopo.
Coronatus est Anno Christi Saluatoris 303. Marcelli Papæ 7. Diocletia: &
Maximi: 20.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42728

*Redit Ver-
cellas Epif-
copus Euse-
biius.*

*Claret mira-
culis post o-
bitum.*

*Vide 2 Tom.
Annal. C. 3,
Baronij.*

*1. August.
Patria eum.
In Hispanijs
Christi præ-
dicat.*

gubernacula vocatus fuit; qui ut gratiam ac po-
puli totius benevolentiam captaret, Imperij sui
initio, damnatos exilio Orthodoxos reuocauit,
& liberam cuique cuiusvis religionis potesta-
tem fecit. Iuliano verò quoque defuncto, Iouenianus ita imperium administrauit, ut sopitis
Arianis, Eusebius Vercellas rediret, ac summa
populi exultatione cathedram reciperet. Quòd
autem ad lucubrations eius spectat, cum Graecarum lit. æquò ac Latinarum fuerit callentissimus, haud otiosus absque scriptione vitam ex-
gisse creditur: quãquam de illis nulla sit memo-
ria, & excidisse putentur. Quanta verò miracu-
lorum effuserit post obitum gloria, adeò ut oleo lampadum, in Ecclesia ipsius ex more ardētium, dæmones ab energumenis pellerentur, vide Gregorium Turonensem lib. de Glor. Confess. cap. 3.

MARTYRIVM S. FELICIS APVD GERUNDAM: ex Adone Treuir. Archiepiscopo. Coronatus est Anno Christi Saluatoris 303. Marcelli Papa 7. Diocletia: & Maximi: 20.

S Felix Scillitana ciuitate oriūsus, pietate, religione, & præcipuo martyrij ardore incensus, cū in Hispanijs Christianū nomē vehementi persecutione oppugnari intellexisset, ocius cōscensa mercatorum nauis, intrepidè accurrit, ac diuini verbi semina ubique spargens, fidelium pectora nouo fidei calore contra vim tempestatis excitauit. Cumque aliquamdiu apud Barcinonam, Empurias, & Gerundam, sparsis Euangelij sato, plurimos in fide cōfirmasset, fama eius longè lateque increbrescente, iubete Dacia-

Daciano, repente à Ruffino officiali tentus est. Ille verò cum tota aueritate ad martyrij epulas aspiraret, magnam ilicò & præclaram fidei suæ confessionem edidit: tyrannumque sua constantia permouit, vt à verbis ad supplicia descenderet. Primò igitur fustibus cæsus, & in ima carceris detrusus; deindè manibus pedibusque ligatis, in loco squalido, omni cibo ac potu destitutus proiectus est. Post hæc etiam catenis grauioribus vinctus, per omnia ciuitatis compita ab indomitis multis tractus, & penè in frustra discerptus est.

Deinde missus in carcerem, nocte ab Angelo visitatus, ac pristino decori restitutus, facto die, ad certamina reuocatur. Tunc vngulis excoriatus, ab hora tertia ad Vesperam vsque inuerso capite suspensus, omnis penitus doloris expertus mansit; Rursus verò in carcerem receptus, tota nocte & lumine copioso & Angelorum concetu mirificè recreatus fuit. Quod cum nunciatum fuisset Ruffino, iussit eum vinctis post tergum manibus in mare præcipitem dari. Ibi continuo vincula eius dirupta sunt, & angelico comitatus obsequio, super vndas deambulans ad litus peruenit. Tunc Ruffinus iterum cutem eius vngulis detrahi, ac deindè ad vsque ossa laniari, & tandem vulnera vulneribus instaurari iussit, vsque dum inuictum Christo spiritum reddidit.

Corpus eius Gerundæ in monumento, quod ipse sibi præparauerat, conditum est Nouis Augusti,

Comprehenditur à Ruffino.

Fustibus cæditur.

Dire vexatur.

Visitatur ab Angelis in carcere.

Horrendum supplicium.

Vinctus in mare mittitur, sed ab Angelo liberatur.

Post varia & horrenda tormenta, tradit Spiritum.

VITA